DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PODAGRA REGULARI.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PODAGRA REGULARI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOSIAH DANIELL,

EX INSULA NEVIS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS ORDINARIUS.

Hunc oportet varium habere vitæ genus; modo ruri esse, modo in urbe, sæpiusque in agro; navigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere: siquidem ignavia corpus hebetat, labor firmat; illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. CELSUS, c. 1. p. 20.

Die VIII. ante Kal. Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1809.

VIRO

REVERENDO SPECTATISSIMOQUE,

CAROLO RICHARDS, A. M.

ACADEMIÆ VINCESTRIANÆ GUBERNATORI,

PRÆCEPTORUM ATQUE AMICORUM

OPTIMO;

CUI,

OB MAXIMAM ERGA SE BENEVOLENTIAM,

MULTA ATQUE COLLATA BENEFICIA,

AUCTOR PLURIMUM DEBET;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

SINCERUM EQUIDEM,

LEVISSIMUM QUANQUAM,

ANIMI PERGRATI TESTIMONIUM,

MAXIMA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA,

D. D. D.QUE

JOSIAH DANIELL.

PATRI

SUO CARISSIMO,

GEORGIO WEBBE DANIELL,

ARMIGERO,

INSULÆ NEVIS APUD INDOS

PRÆSIDI,

JUSTITIÆ ATQUE IBI ADMINISTRATORUM SUMMO;

HOCCE OPUSCULUM,

AMICITIÆ VERISSIMÆ

PIGNUS,

SUMMA PIETATE,

OFFERT

FILIUS.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PODAGRA REGULARI.

Ex morbis, quibus hominum afficitur systema, pauci fere formam sibi adeo variam assumunt, ac morbus, de quo nunc tractandum est.

Podagræ enim paroxysmorum, alter alteri haud raro valde absimilis; variare scilicet, et plurimum potest, vel quod ad doloris et pyrexiæ gradum spectat, paroxysmi ipsius

durationem, vel partis corporis affectæ situm.

Historiam morbi adeo multiformis accuratam, et quæ omnibus respondeat exemplis, tradere, valde difficile est. Hanc rem quidem adeo arduam perficere, virium tenuitas conari vetat. Pauca igitur, in hoc nostro tentamine, ad Podagram Regularem quæ maxime attinent, proferre nunc mihi consilium est.

Rarissime qui non labe hæreditaria ad morbum proclives sunt, et quibus plurima et valida exercitatione uti mos est, adoritur podagra; et adhuc magis, qui diæta minus lauta, vitam reficere solent. Nec fœminæ, ab hujus morbi impulsu, omnino immunes sunt; quanquam perraro sese morbus prodit, antequam menses disparuere.

Homines, corpore forti et robusto gauden-

tes, quibus atque capita magna sunt, obesiores, et quibus sanguis maxime abundat, temperamento cholerico-sanguineo, sic dicto, præditi, sub hujus morbi paroxysmis præcipue laborant.

Juniores, et parciore victu utentes, laboriosi, eunuchi, et qui venerem minus strenue colunt, rarissime afficiuntur.

Doctor Heberdenius casum enarrat satis notatu dignum, familiæ cujusdam liberorum labe hæreditaria ad morbum proclivium, quorum omnes præter unam puellam, per totum vitæ decursum, a podagra omnino immunes vixerunt. "Memini," inquit ille, "arthriticorum parentum liberos omnes, hoc "domesticum malum evitasse, præter unam "e filiabus."

Ab ætatis anno trigesimo quinto, homines hoc morbo maxime laborant, qui præcipue

vitam desidiosam luxuriosamque degere; et nunc plethorici facti, parum valentes, vel saltem parum volentes semet exercere, uti antea soliti, eidem victui adhuc indulgent; excretionibus plurimum minutis igitur, plethoram multum adaugeri oportet, et hoc modo, causam podagræ prædisponentem, ut Gregorii verbis utar, tandem excitantem fieri.

Media fere hyeme, exeunte Januario, incipiente Februario, morbus sese ostendere solet; quibusdam in exemplis, nullo symptomate adortum præcedente; et in aliis, præcedentibus satis notabilibus, qualia sunt, pedes humectari soliti aridi devenientes, vel ardere soliti frigidi facti; stupore, aliis in exemplis, frequenter affecti; aliis, punctionis molestissimo, præcipue in pedum plantis, sensu; musculorum extremitatum inferiorum, et femorum imprimis, spasmo, et vasorum plethora interdum satis notabili.

Aliis vero in exemplis, prægredi observantur, et etiam per hebdomadam plenam, spiritus depressi, animique dejectio; quæ affectiones, et aliis stipantur signis haud levioribus, dyspepsiæ scilicet variis, anorexia, cardialgia, ructu, et intestinorum flatulentia. Hisce denique subsequi observantur torpor et dolor, musculos præcipue motui voluntario inservientes, pervadentes.

Exercitationem et vel levissimam excipiunt lasstiudo maxima et fatigatio; alvus haud raro adstricta, et urina coloris pallidi fere redditur.

Gradatim symptomata, quæ supra recensuimus, paroxysmo fere instante, recedunt. Cibi appetitus redit, et quibusdam casibus haud omnino naturalis. Lecto decumbit podagricus, nullo paroxysmi futuri signo affectus. Aurora vero adveniente, dolore digitum pedis majorum cruciante, ex somno profun-

dissimo expergefactus, et fere quodam majore vel minore horroris sensu. Adaucto pollicis dolore, gradatim decedit frigoris sensus, et pyrexiæ stadium calidum supervenit violentissimum, quod per horas quasdam durare solet, ægro simul dolore exquisito affecto, qui, secundum SYDENHAMIUM, et vere quidem, artus luxationi, vel dentibus canis lacerationi, simillimus.

Æger, frustra omnino, corporis in lecto posituram mutat; ab uno, in alterum, latere se vertit, dolorem levare conans.

Symptomata tandem sponte sublevantur, atque æger defessus et fere deficiens, sudore leni erumpente, in somnum dulcem concidit; e quo excitatus, pollicem, antea adeo dolore affectum, coloris rubri, et tumefactum videt.

Hujuscemodi symptomata, hoc modo adorientia, Podagram morbum, seu Arthritidem

conficiunt. Symptomata ipsa, apud SYDENHAMIUM *paroxysmulum* formant.

Hi paroxysmuli, pluribus noctibus, apparent, sæpe etiam per dies quatuordecim, et aliquando per spatium longius, aliquando brevius durantes.

Paroxysmi decessum prænunciant; partis inflammatæ pruritus molestissimus, rubor gradatim evanescens, et cuticula in squamulas furfuraceas abiens. Tumor etiam minuitur, et æger indies membrorum vim recuperat, et brevi pristina salute gaudet.

Paroxysmi arthritici duratio, ex ægri habitu, quod ad morbi prædispositionem, modo vivendi, quo uti solitus fuerit, anni tempestate qua morbus sese ostenderit, viribusque demum et ætate ægri ipsius, plurimum omni in exemplo pendeat, oportet.

Podagra initio morbi, semel tantummodo per annum adoriri solet; post adortum vero morbi, plures paroxysmi, sæpius duo vel et etiam frequentiores, spatio jam dicto, occurrere observantur. Aliis vero, quanquam rarioribus, sine ullo vel levissimo paroxysmo vivitur.

Quæ supra recensuimus symptomata, pro maxime notatu dignis, eos qui arthritidis adortum non antea passi afficientibus, habenda sunt. Brevi, attamen, observandum est, morbus aspectum multo tristiorem induit; pedem primo affectum relinquit, et alterum statim afficit: nunc genuum, nunc humeri, nunc cubiti artus, potissimum vero manuum juncturas adoritur. Duo interdum articuli semel occupantur, multo vero rarius; hisce in exemplis, dolor multo levior experiri solet; tandem alterum relinquit, et alium iterum afficit, et diversum; adeo ut, durante paroxysmo, vix articulorum ulli, per totum ejus decur-

cursum, dolore omnino immunes remanserint. Ut morbus ingravescit, paroxysmi, hoc modo, longius perdurantes, minus vero molesti eveniunt.

Prægrediens, denique, nausea longius durat, et multo vehementior urget.

Post plures arthritidis paroxysmos, initio morbi, membra ut antea flexilia fiunt, et brevi tempore pristinum motum recuperant. Ingravescente vero morbo, rigida, et multo minus, ad movendum, apta deveniunt.

Quæ supra protulimus signa, nisi articuli cujusdam inflammatione comitata, non Podagræ Regularis nomen merentur. Quæcunque symptomata, ullo modo, e diathesi arthritica pendentia observentur, vel tali cum prædispositione connexa, e qua oriri debet inflammatio, sine tali inflammatione præsente,

vel simul accidente, Podagræ Irreguralis nomen obtinuerunt.

Multi, quamvis non omnes, post paroxysmos plures, concretis olim naturæ calcariæ judicatis, nunc vero ex urate sodæ constare demonstratis, laborant. Hi calculi, sub cute vera jacent; hujus suprajacentis et cujuscunque vicini, inflammationem excitant, in ulcera molesta abeuntem. Aliis denique in exemplis, perduri observantur calculi, nodorum forma, magnitudinis haud facile credibilis, ad digitorum manuum, vel adhuc frequentius pedum, juncturas siti.

Porro, hisce affectionibus, sæpissime adjungitur artuum corporis fere omnium, et genuum imprimis, rigiditas.

Materia, secundum Cullenum forma fluida primarie deponitur; gradatim vero solida fit, et firma. Hocce, aliquatenus saltem, ra-

tionem reddere possit, cur artus, gradatim adeo, motus perderent.

Qui Podagra afficiuntur, rarissime quidem, si unquam, a Lithiasi non etiam laborant. Paroxysmi vero nephritici, et podagrici, nunquam semel adoriuntur: potius vero secum mutuo alternant, neque tamen constanter.

Nati parentibus, qui ambobus morbis, Podagra scilicet et Lithiasi, laborant, raro sub hisce, primis saltem ætatis annis, simul patiuntur. Haud raro vero matris Lithiasi affectæ natæ, morbo laborant; et patris Arthritici nati, Podagrici observantur.

CAUSA PROXIMA.

Causam hujusce morbi proximam, multi reddere conati sunt. Apud Sydenhamium clarissima memoria, materia quædam morbifica, in sanguine accumulata, vires naturæ, aliter opprimatura, excitans, adeo ut a corpore ejiceretur, pro causa paroxysmi arthritici primaria habebatur.

Cheynius, hoc modo, causam explicare conatus est. Vasa Arthritidi prædispositis multo rigidiora et magis elastica, quam aliis hominibus esse putavit; et sanguinis cursum igitur expeditiorem contingere. Vasa vero extrema, progrediente vita, adhuc etiam rigidiora fieri et arctiora, et materiam perspirationis salinam excernere non diutius valentia;

ex quo, copia justo majore accumulatur in sanguine materies salina; quæ tandem, vasorum et artuum imprimis actionem auctam, et omnem paroxysmum supra descriptum, producere existimatur.

Dr Hardeius, simili fere modo, salinæ materiei, in sanguinem una cum vinis quibusdam, præcipue *Champagne*, invectæ, Podagram relegavit.

Forbesius et Bertholetus putarunt, causam hujus morbi proximam, esse acidum lithicum, et phosphatem calcis, in articulis deponendum. Cujus naturæ vero sit actio ista vasorum, a qua pendeat, necessarium est, talium salinorum productio, non explicare possunt.

Eæ, talesque plurimæ theoriæ, Podagram ab animi affectibus excitatam, ira, mœrore, ab evacuationibus subito factis variorum ge-

nerum, a cutis læsione levissima, vel et a calceo nimis arcto, nequaquam explicant.

CAUSÆ REMOTÆ,

PRÆTER diathesin hæreditariam, ad duo capita referri possunt:

1. Ad eas, quæ corporis plethoram inducunt.

2. Eas, quæ in prædispositis debilitatem edunt.

Horum capitum priori referenda sunt vitæ genus desidiosum et luxuriosum, diæta plena, vini ingurgitatio et aliorum liquorum fermentatorum nimia, et alia plurima. Ad alium, ebrietas, voluptatum Veneris Almæ excessus, studia nimium protracta, vigiliæ, animi subitæ

depressiones, anxietas, corporis perfrigeratio, præcipue corpore calefacto, liquorum acidorum abusus, subita diætæ mutatio, præcipue a plena ad modicam; evacuationes nimiæ vel et solitarum suppressio subita.

Tales causæ sunt apud auctores enumerari solitæ, quæ in prædispositis solummodo, morbi paroxysmum inducere valent. Hisce etiam addi possunt et læsiones extremitatum, vel levissimæ, quales a vulnusculis, &c.

DIAGNOSIS.

Podagram inter Regularem, et omnes fere alios morbos, rite dignoscere, omni fere in exemplo, perfacile erit. Cum Rheumatismo solummodo confundi potest, et ab hoc qui-

dem distinguere parum difficile. Podagræ paroxysmum precedunt, omni in exemplo, ventriculi affectiones ; Rheumatismum vero perraro, si unquam. In Rheumatismo plerumque afficiuntur artus, dum in Podagra, articuli fere soli afficiuntur.

Dolor porro Rheumaticus, musculorum cursum sequitur; in Podagra vero circumscriptus est. In Rheumatismo denique, rubore nullo afficitur artus ; in Podagra, inflammatio et rubor semper conspicienda.

Podagræ demum paroxysmi, certis anni temporibus, fere apparere solent. Rheumatismus contra, omnibus adoritur.

Talia symptomata, si bene semel perspiciantur ægri habitus et prædispositio, omni fere in exemplo, Podagram distinguere sufficient.

PROGNOSIS.

In Podagra Regulari, prognosis nequaquam infausta esse potest, in qua scilicet, articuli solummodo inflammatione afficiuntur, brevi decessura.

TRACTATUS.

Paroxysmo durante, quam stricte, secundum Gregorium, regimen antiphlogisticum utendum est; et si symptomata excitationis auctæ valde urgeant, sanguinis missio, non e parte affecta solummodo, verum etiam e bra-

chio, uti potest; nec sine gravi commodo, in iis imprimis qui, ætate minus provectiores, corporis habitu robusto gaudent, forti atque plethorico.

Sydenhamius venæsectionem non probare videtur, nec quidem paroxysmo urgente. In exemplis vero naturæ quam supra annuimus, haud dubie profuturam esse putare inducimur.

Opium omnium fere medicamentorum, in dolore levando potentissimum, et quoniam æger podagricus somni maxime eget, in paroxysmo morbi optime respondebit. Simul vero cavendum ne alvus adstricta urgeat, adhibitis, quando opus fuerit, enematîs idoneis. Hocce remedium (opium) commendavit Heberdenius illustris. "Opium etiam," inquit, "tuto datur in omnibus arthriticis, quoties vigilia et dolor urgeat."

A vesicantium usu et rubefacientium nihil boni derivatum observavit GREGORIUS. Imo haud defuere exempla, in quibus, a talibus remediis parti affectæ applicatis, Podagra Retrocedens, ut vocatur, maximo vitæ discrimine stipata, edita fuit. Camphora et olea aromatica, quibusdam placent, sed tuto non adhiberi possunt.

CULLENUS quidem celeberr. observat, omnia topica externa periculosa esse, et lanulæ et patientiæ ægrum confidere monet; quam praxin esse optimo fundamento stabilitam habet.

Paroxysmo tandem depulso, ne redeat medico connitendum est. Ad hunc finem, plurima prolata fuere remedia, et famam maximam eorum quædam assequuta sunt, et tandem merito, ut quibusdam placuit, amisere. Pulverem Portlandicum inter ea enumerare liceat. Quanquam enim, ut multi fassi sunt

auctores, hoc empiricum, pro tempore, paroxysmum regularem arceat, citius attamen seriusve, alia forma, et majore stipata periculo, atonica scilicet, morbus sese manifestat.

Hujus denique medicamenti exhibitioni, subsequi observata fuere apoplexia, asthma, et hydrops. Pulveris Portlandici usum igitur, nequaquam cum HEBERDENIO probare possumus, quem plurimum quidem commendavit. "Etenim," inquit ille, "dum fama ejus "vigeret, in tot ægris, qui eo usi sunt, Poda-"gra vel mitior facta est, vel rarius repetiit, "ut vix possit dubitari hos affectus isti me-"dicamento esse tribuendos."

Neque tamen negandum est, pulverem Portlandicum, uti medicamentum virtutibus amaris gaudens, non omnino contemnendum esse, quippe qui tonicam vim in ventriculum exercere potest. Dicere tantummodo in mente est, alia medicamenta plurima, eodem

modo agentia, æque in corporis tono reficiendo et conservando valere.

Balneum frigidum, prout remediorum omnium vi tonica gaudentium, maxime valens, apud quosdam plurimum laudatur. In junioribus vero, et robustioribus, summa cum cautela adhibeatur oportebit. HEBERDENIUS huic remedio multam vim tribuit. "Magnus "ille HARVEIUS," inquit ille, "circumeuntis "sanguinis repertor, ut a propinquis ejus "accepi, protinus ut Podagram advenientem "sentiebat, crus affectum in frigidam im-"mittere solitus est, et eo pacto dolorem "avertere."

Inter simplicissima et quidem commodissima remedia, enumerari debet frictionis usus assiduus, quæ diaphoresin optime promovet et materiei depositæ absorptionem, atque vasorum et demum corporis universi tonum reficit. Cinchona, parvis dosibus, veluti ℈ij. vel ʒiß.

indies, organorum concoctioni inservientium, vires optime restaurat. Gentiana, columbo, cortex citri medici cum aromaticis, haud raro optimos edunt effectus. GREGORIUS noster, in prælectionibus suis utilissimis, monet hujuscemodi remedia, per dies quatuordecim saltem, nec triginta longius, usurpari debere.

Beneficia, quæ plurimi podagrici ab usu aquarum chalybeatum derivarunt, medicos ad usum carbonatis ferri conduxerunt, qui quidem aliquando bene respondet.

Emetica medicis quibusdam præscribere placuit. Ex iis vero, ni nausea valde urgeat, vix aliquid expectandum est beneficii: et prout functiones fere omnes plurimum pervertentia, nequaquam idonea videntur.

Quibusdam in exemplis, a tincturis vi cathartica gaudentibus, caute nempe usurpatis,

multum commodi expertum est. Semper attamen in memoria retinendum est, uti monet Cullenus celeberr. decedente paroxysmo, summo periculo morbum reducendi, usum remediorum hujuscemodi liberiorem stipari.

Ab aquæ mineralis Buxtonientis usu, non solum medicamenti forma, verum et balnei, multum boni haud raro fuit derivatum. Prout medicamentum, aqua hæc agere potest, solummodo forsan quatenus vi tonica pollens; *ferrum* enim, quanquam parvula quantitate, continet. Secundum quosdam, plurimum valere solet aqua, in partem maxime affectam, vi quadam effusa, scilicet ab alto projecta. Aquæ Bathonienses, secundum multos, bene respondent, in podagræ paroxysmis arcendis. Haud dubie, si vere efficaces habendæ sunt, earum virtutes, a potestate, qua pollent, tonica, pendent. Heberdenius vix iis equidem ullam vim propriam concedere voluit, et hoc modo loquitur: "Quod si in Galliæ

"fuisset aqua medicata, quæ *fistulam* potuis-"set inferre, illuc puto haud minus cupide "properatum esset, quam Bathoniam nostri "petunt, ut reportent Podagram."

A cæli mutatione, imprimis ad regionem calidiorem migratione, et tempestatis vicissitudinum evitatione sedula, haud parum beneficii experiri solet.

Affectiones nephriticæ maxime levandæ sunt opii usu libero, fomentis calidis, balneo calido, catharticis, quoniam ea remedia optime calculi descensui favent, et plerisque in exemplis, adjunctis diluentibus, valebunt.

Præ omnibus vero, podagricum oportebit, regimine quam stricto uti. Ni huic enim animum attenderit, frustra omnino medici efficacissima propinantur medicamenta. Exercitatio corporis modica, regularis vero, seu

forma ambulationis, sive equitationis, in rheda vectionis, &c. summi erit momenti.

Somnum neque longiorem, neque nimis brevem esse oportebit. Alvus neque adstricta, neque fusior, modice vero laxa teneatur. Diæta vero, rerum omnium fere aliarum, maxime podagrici curam meretur, quæ, ne nimis plena sit, sedulo erit cavendum; evitata imprimis liquorum spirituosorum ingurgitatione, quæ, uti omnibus satis innotuit, omnium podagræ causarum, frequentissima est et validissima.

Tandem notari liceat, regimine neglecto, medicamenta frustra omnino adhibenda esse, et rite observato regimine, perraro necessaria.

FINIS.

ERRATA.

, 5. l. *ult. pro* majorum *lege* majorem

– 19. l. 12. *dele* esse.